

alii quam plures. Ut hec autem rata et firma permaneant, presens scriptum fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Data Haldinbure anno dominice incarnationis millesimo cc. xvi., mense septembri, quinte indictionis, regnante domino Fr[iderico] Romanorum rege semper augusto et rege Sicilie, anno regni eius in imperio iii. et in Sicilia xviii.; feliciter amen. 5

229.

*König Friedrich II. nimmt das Kloster Remse in seinen Schutz und bestätigt dessen Besitzungen. — Zeuge: Landgraf Hermann. Altenburg, 1216 Okt. 6.*

*Hdschr.: Kop. Pap. (Saec. XV) in „Acta rechtl. Satz und Gezeugniß zwischen Churf. Ernsten und Herzog Albrechten zu Sachsen an einem und H. Friedrichen von Schönburg andern Theils“ fol. 42 Locat 8426. Hauptstaatsarchiv 10 Dresden.*

*Gedr.: Mitzschke, Urkundenb. von Stadt und Kloster Bürgel 1,71 (auch nach 2 Kopieen des 15. Jahrhunderts in den Archiven zu Gotha und Weimar).*

Fridericus secundus dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie. Regnum nostrum temporale stabilimus et deo nostro creatori gratum impendimus obsequium, si ecclesiarum intendimus augmento et ad huius sustentationem vite manum eis extendimus largitatis. Quapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus innotescendum, quod nos divine intuitu retributionis et pro remedio animarum omnium progenitorum nostrorum, ad supplicationem quoque Wernheri venerabilis prepositi recepimus in specialem maiestatis nostre protectionem monasterium de Remse cum omnibus bonis ubicumque constitutis et cum mancipiis utriusque sexus ad idem monasterium pertinentibus confirmantes ei omnes possessiones, quas in presentiarum legitime possidet vel imposterum domino concedente iustis modis poterit adipisci, et nominatim omnia bona, que felicis recordacionis imperator Heynricus genitor noster et rex Philippus patruus noster ipsi monasterio contradiderunt et suis privilegiis confirmaverunt. Ex habundanti quoque munificentie liberalitate sepe dicto monasterio de Remse indulgemus et concedimus, ut, quicumque homo ingenuus sive ministerialis aliquid de bonis monasterii imperio attinentibus ei et personis illie famulantibus altissimo pro salute anime sue donare vel emptionis titulo voluerit alienare, libere id et sine consensus nostri facere possit requisitione donacionem sive vendicionem de prediis imperii prelibato monasterio quocumque casu factam confirmantes et ratam habentes. Statuimus itaque et sub interminacione gratie nostre districte precipimus, ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica sive secularis sepe dictum monasterium in aliquibus bonis suis iam datis vel adhuc conferendis molestare audeat vel aliquatinus sibi ea vendicare. Quod qui fecerit, in vindictam sui reatus centum libras auri purissimi componat, dimidium camere nostre, reliquum monasterio passo iniuriam. Ad huius eciam concessionis nostre robur perpetuum hanc paginam conscriptam sigillo nostro iussimus communiri. Huius rei testes sunt: Eckhardus Merseburgensis episcopus. Otto dux Meranie palatinus comes Burgundie. 15 20 25 30 35